

22

15

DISSERTATIO JVRIDICA
DE
PARIBVS SENTENTIIS JVDICVM
ET
ARBITRORVM
QVAM
SVB PRAESIDE
DN. CASPARE HENRICO
HORNIO

JCTO ET ANTECESSOR. POTENTISS. REG. PO.
LON. ET ELECTOR. SAX. IN PROV. SENATV
CONSILIARIO, FACVLT. JVRID. IN ACAD.
VITEMB. ORDIN. ET SENIORE ELECTOR.
CVR. CONSIST. ECCL. ET SCABINATVS
NEC NON

JUDIC. PROV. IN LVSAT. INFER. ASSESSORE
IN AUDITORIO JCTORVM

AD D. XII. IUN. A. MDCCXVII
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI

SVBMITTIT

GEORGIVS GVILIELMVS DE REIBNITZ

EQU. SIL. INFER.

RECUSA CIO IOCC XLIV.

6



12
DISSESTITATIO MUNDI
DE CAVAS
SENATU DICAM
ARPI ROLAM
DE CABARE HENRICO
DICO
CITO ANTECSCO POTESTE REGIS
ION ET ELEGOS SAX IN REX SENYTA
CONSI VRCIO GACIAT TARDI TAD
ATRATOR SHMOL ELEGOR
LUDIC TROM TITI ATRATOR
MVTOTON JETONUM
EXAMIN
GERNINA





CONSPECTVS.

I.

Rectæ rationi maxime conveniens & æquissimum
esse, in rebus a pluribus agendis sequi majo-
ris partis sententiam.

II. Quid recta ratio svadeat, ubi pares sententiæ sunt
judicium & arbitrorum?

III. Probare ista omnia tum Jus Civile, tum Jus Ca-
nonicum.

IV. Explicatur sententia ULPIANI in L. 17. §. 5. ff.
de Receptis.

V. Juris Canonici placita exutiuntur circa paritatem
sententiarum arbitrorum.

VI. Quid faciendum, si arbitrorum impares senten-
tiae dissolnæ deprehendantur?

VII. Agitur de Judicibus, qui pares numero sunt, ex
juris Civilis textibus.

X

VIII.

VIII. Conciliatur PAVLVS cum MODESTINO.

IX. Disquiritur de usu forensi. Regula constituitur: paribus sententiis judicum, illam, que pro reo est, preferendam esse. Quæ regula declaratur, additis exceptionibus.

X. Excuditur casus, ubi scilicet exceptio paribus suffragiis admittitur, atque rejicitur.

XI. Allegantur leges, quæ carent, qua ratione paritas suffragiorum evitari possit, vel qua ratione, si illa se prodat, exitus querendus?

XII. Qua ratione dissidenæ judicum sententiæ conjungi queant?

XIII. Regulam *tbes. IX.* propositam non habere locum in secunda instantia.

XIV. Utrum in Judicio revisorio paribus revisorum sententiis prior confirmanda, nec ne? Recensentur ea, quæ circa hoc argumentum in causa Erbmannorum Monasteriorum acta.

XV. Utriusque partis argumenta.

XVI. Exitus hujus controversiæ. Subjicitur tum Conclusum trium Collegiorum Imperii; tum Decretum Cæsareæ Commissionis.



DISPV-



DISPV TATIO JVRIDICA
DE
BARIBVS SENTENTIIS
JVDICVM ET ARBITRORVM.

I.



num homines ad dissentendum
inter se facillimi sint, arque sæ-
piissime in diversas abeant senten-
tias, contrariisque placitis sejun-
gantur: utique ratione aliqua
opus est expediendi negotia, quæ
a pluribus pendent, vel pluribus
sunt commissa. Ut i vero ad illo-
rum voluntatem, qii ex arbitrio suo consociati sunt,
vel aliis negotia expedienda deferunt, pertinet, quam
formam tractandis negotiis imponere velint: ita, ubi
nihil conventum aut dictum est, nullum remedium
magis commodum apparuit hucusque, quo plurium
dissensus celerius feliciusque minori invidia, & stre-
pitu, majorique tranquillitate ad exitum deduci queat,

A

quam,

quam, ut stetur sententiæ, quæ pluribus placuit. Innititur hæc res præsumtione quadam naturali, quod ubi major pars, ibi quaque major perspicacia circa res agendas, cum plus videant oculi, quam oculus; atque sic credibile, majorem partem etiam saniores esse. Quod licet sape fallat, satius tamea est in eo acquiescere, quam infinitis disceptationibus, quæ sanior pars sit? januam aperire. Accedit ratio æquitatis, quod iniquum sit, minorem partem postulare, ut major illam sequatur; æquius autem longe, si minor pars sequatur plures, pro quorum sententia major, ut diximus, est præsumtio. Ob quam causam maxime verisimile est, illos, qui in unam societatem coivere, vel alios negotium expediendum commiserunt, si aliud non auctum, nullam aliam, quam hanc rationem expediendi negotia voluisse. Et hoc est, quod APPIANUS dicit: ισι δὲ ἐν τε χειροτονίαις,
καὶ διωτεῖς τὸ πλίου διωτέον; tam in Comitiis, quam
in iudiciis vincit pars major; & ARISTOTELIS νόμοι τὸ
τοῦ πλειοῦ δέχαν. Pertinent huc varii Juris Civilis
Textus ex L. 2. ff. quod cuiusque univ. l. 19. ff. ad L. Mu-
nit. l. 7. §. 111. ff. de partis. l. 36. ff. de re judic. & l. 17.
§. 6. ff. de rec. qui arbiter. ex jure Canonico Tit. Decret.
de his, que fiunt a majori parte, ubi Doctores. GROTI-
US de Jur. B. & Pacis L. II. c. 5. §. 17. & ibid. ejus Comi-
mentatorem PUFFENDORF. de J. N. & G. L. VII. c. 2.
§. 15. ZIEGL. d. Officio Judicis c. 42. §. 3. 199. Non igno-
rum est, esse etiam, ubi hæc regula officium perdar. Sed hæc excusere non est præsentis instituti. Conf.
D. PRASCHIVS de jure majoris partis CARPZ. Dec. 82.
D. COCCEJ. de eo quod iust. circ. num suffrag.

II.

Quod si vero dum res a pluribus agenda pares sententiae appareant, nihil actum est. Nam cum neutra pars postulare possit, ut se altera sequatur, consensum adesse, vel negotium ad exitum esse perductum, dici nequit. Quin potius res, de qua agitur, in priori statu manet, nec mutari potest, nec novi quid fieri, si neutra pars prævaleat, sed par utrinque pondus æquilibrio rem suspendat. Et ob hanc causam jam dudum NERATIUS PRISCVS existimavit: *tres facere Collegium*, quod sequendum esse MARCELLUS ait *Lib. I. Digestor. in L. 85. ff. de V. S.* Itaque, quando circa controversias forenses, de quibus agere nobis nunc quidem constitutum est, judices, quorum potestas est, eas definiendi, pares sunt suffragiis, non potest vincere actor, quia Victoria non nisi a viribus superioris proficiunt potest; superior autem dici nequit in bello hoc civili, pro quo non plures sententiae stant, quam pro reo. Quia autem publicæ utilitatis ratio non fert, ut lites sine exitu pendeant, consequens est, reum necessario absolvendum esse. Ut adeo non tantum favor rei, ad quem plerique provocant, sed ipsa etiam rei necessitas extorqueat absolutionem, dum scilicet nihil fieri novarique potest sine numero potiore. Solent hoc *Minerve calculum* vocare ex fabula de *Oreste*. Cum enim Orestes, qui matrem *Clytemnestram* interficerat, ut vindicaret necem patris *Agamemnonis*, quem illa occiderat, in Areopago, causam suam agebat, & condemnantes una sententia vincerent, *ans unxans adfuisse Minervam*, dicitur, & apposuisse cal-

A 2

culum

culum suum absolventibus. Sic paribus sententiis valuit mitior, & Orestes evasit, quæ res apud AESCHYLUM, & apud EURIPIDEM tractatur. Vid. BOEKLERI *Dissert. de Calculo Minervæ COCCEJ. d. I. s. II.* Quod ad privata arbitria attinet, ob eandem rationem utique verissimum est, nihil agi, si pares sint sententiæ arbitrorum. Quia enim neutra pars ex disceptantibus superat alteram, res in priori statu manet, nihilque immutari potest. Non tamen præcise opus est, ut ille, qui rei partes sustiner, absolvatur, cum judex adiri queat, qui publica autoritate dirimat controversiam: ut adeo reipublicæ magni non intersit, per arbitria lites finiri, & non fluctuare, quæ privatorum arbitrio constituuntur. Atque hæc ira si res ex sola recta ratione definienda est. Quod si autem fortasse lex vel compromissum aliud quid exigat, rationemque monstrer, qua paribus judicium sententiis exitus inveniendus, in hocce utique subsistendum est. B. ZIEGLERVS *ad Grotium d. I. qua de re in sequentibus agendum.*

III.

In nostro jure Civili si versamur, res caret dubio, plurium judicum, vel arbitrorum sententiæ prævalere, ubi circa causæ controversæ definitionem dissentunt. *I. 36. 37. 39. ff. de re judic. L. 17. §. 6. 7. 6. 27. §. 3. ff. de receptis.* id quod & cum placitis Juris Canonici convenit, quemadmodum illius interpres *ad cap. I. X. de arbitris & alibi passim exponere solent.* Illud vero, quid statuendum, si pares sententiæ deprehendantur? non adeo expeditum est omni ex parte. Quod ad arbitros attinet, si pares numero sint, & in æquas par-

partes scindantur, nihil agitur, & licet eorum sententiae non stari. l. 27. §. 3. ff. de recept. Id quod & dictamen rectae rationis docer, ceu modo diximus. Siquidem ergo est, ut impares numero assumentur, vel duobus vel pluribus paribus electis ira in illos compromittatur, ut eis tertius certus, quem nostri mores super arbitrum, vel obmannum dicunt, accedat, atque sic res exitum capiat. l. 17. §. 5. ff. eod. Suggerit quoque hoc consilium *Synodus Africana*, cuius particulam ex *Can. 88. GREGORIVS IX.* Decretalibus suis inseruit, cap. I. X. de arbitris. quæ & in prima antiqua *BERNARDI* collectione Cap. IV. de foro competenti reperitur, juberque, ut, si ex communij placito Episcoporum, inter quos causa versatur, arbitros elegerint, aut unus eligatur, aut tres, ut, si tres elegerint, aut omnium sequantur sententiam, aut duorum. Canones isti extant apud *LABBEUM Tom. II. pag. 1644.* Observatum est hoc institutum in illo celebri compromissso *Heilbronnenſi A. MDC LXVI.* ubi in causa Wildfangiatus Regis Galliæ & Sveciæ delegatis Compromissariis Commissarius Cæsareus Obmannus darus & constitutus est, ceu formula compromissi docet, quæ in actis publicis *A. MDC LXVII.* editis extat.

IV.

Quod si vero in duos sic fuerit compromissum, ut, si dissidentire, tertium incertum adsumant, *ULPIANVS L. XIII. ad Edictum L. 17. §. 5. ff. de receptis* putat, tale compromissum non valere; nam in assumento, ait, possunt dissentire. Addit tamen in §. 6. dicta legis, usitatum esse, etiam in duos compromitti,

A 3

56

Et si non consentiant, (velint tamen compromittentes
 in compromisso persistere, a quo recedere alias pos-
 sunt, L. 27. §. 3. ff. eod.) cogere arbitros debere Prætorem,
 tertiam certam ut elegant personam, cuius autoritati pa-
 reatur. Quod procul dubio ideo usus probavit, quod
 intersi publicæ rei, lites finiri; id vero duobus arbit-
 ris electis, si dissentiant, fieri nequeat, qui propter
 istum dissensum præstare non possunt, quod in se re-
 ceperunt, vel promiserunt, se scilicet finem contro-
 versiæ imposituros sua sententia. l. 13. §. recepisse 2. ff.
 de receptis. Cum vero non absurdum sit, ea pacto
 comprehendere, ad quæ tanquam rationabilia Prætor
 arbitros suo potest adstringere imperio: nulla causa
 est, cur non etiam ab initio sic possit in duos com-
 promitti, ut hi inter se dissentientes tertium suo ar-
 bitratu adsciscant, discordiam dirempturum, atque sic
 a colligitantibus ipsis, a quorum voluntate totum ar-
 bitrium pender, constitui illud, quod Prætor, ubi
 opus est, decernere potest. Ut adeo inter duos istos
 casus, nisi cavillari quis velit, nulla differentia admit-
 ti, aut ejus solida ratio dari possit; sed potius existi-
 mandum sit, ULPIANVM, dum usitatam sententiam
 in §. 6. recenset, illam vero, quæ §. 5. habetur, suam
 fuisse dicit, aut sententiam hancce mutasse, aut istam
 opinionem, quæ §. 6. proponitur, propter analogiam
 juris, quicquid ULPIANO sèpius miseris subtilitatibus
 dedito (ceu ex L. 15. §. 7. ff. de Usufr. l. 4. §. 3. ff. de
 cond. ob turpem causam patet) placuerit, etiam speciei
 §. 5. accommodandam esse. Cæterum his casibus si
 arbitri duo in tertium consentiunt, res in vado erit.
 Quid si autem dissentiant duo in eligendo tertio? co-
 gere

cogere debere eos Prætorem *ULPIANVS* ait in §. 6. ut
 eligant tertium : quod idem & ad speciem §. 5. perri-
 nebit ex nostra sententia , & sub multa quoque fieri
 poterit . Sed quis cogere potest eos ad rem , quæ non
 est in potestate singulorum , ob hominum ad dissent-
 endum farilitatem ; & in casu §. 6. ad id , de quo nihil
 in se receperunt ? Quin & hæc res pendet unice a
 compromisso , ac inde sine judicis interventu dijudi-
 canda . l. 21. 32. §. 15. l. 46. ff. d. *recept.* quod vero non
 fit , si Prætor partes suas interponat . Hæret hic aqua
 interpresibus , etiam acutissimo *BACCHOVIO* ad tit.
ff. d. recept. Cap. II. n. 3. ubi *ACCVRSII* furilitates no-
 tat . Dicendum vero : Prætorem ita officium suum
 interponere debere , ut , si arbitris inter se ea de re
 conveniri nequeat , vel sorte eligant unum ex illis ,
 qui ab uno altero nominatus est , vel assumant , quem
 partes litigantes ipse nominant ; vel Prætorem ad
 certam personam nominatim officium suum dirigere
 debere , atque cogere arbitros , ut illum admittant ,
 arque cum eo sententiam dicant . Quod quidem con-
 tra voluntatem partium fieri vel arbitrorum , dici ne-
 quit ; quoniam in specie §. 5. assumptio tertii , incerti
 licet , ex placito litigantium fit ; & arbitri illam simul
 in se cum arbitrio receperunt . Nec in specie §. 6. aliud
 agitur , quam quod intendunt compromittentes , &
 recipientes arbitrium , quibus ea , quæ utroque casu
 agit Prætor , non possunt non placere ; quia alias fru-
 stra arbitrium constitutum & receptum foret , & res
 exitu careret . Quod tamen eo minus volunt partes
 litigantes , quod persistunt in arbitrio , arbitris duobus
 licet

licet inter se dissidentibus, a quo tamen recedere possent, ceu dictum.

V.

Jus Pontificium sibi hac parte non adeo constat, & dum Juris Civilis sententiam Pontifices sequi intendunt, illam non recte assediti videntur. Duos vero casus distinguunt Pontifices. Prior casus habetur in cap. 12. X. d. Arbitris, ubi proponitur haec species: Agebatur causa coram judicibus apostolica constitutis, tandemque in duos arbitros compromittebatur, hac ratione, ut, si illi duo dissentirent, judices tertium adderent arbitrum - cumque tertius arbiter, a judicibus predictis electus, condemnatus reus est ex sententia duorum arbitrorum, vincentium tertium, & ideo judices compellebant condemnatum ad observantiam hujus arbitrii. Appellatione ad Pontificem GREGORIUM IX. interposita, sententiam istam nullam dicit Papa, addita ratione, quod legali provisione statutum, ut compromissum de incerta persona in arbitrum assumenda non teneat: qua parte procul dubio respexit ad sententiam ULPIANI in §. 5. sepe alleg. propositam. At vero hanc sententiam non quadrare ad praesentem casum, certum est. Namque assumitio tertii non in voluntatem arbitrorum, sed judicum relata erat, atque sic arbitri non dissenserunt, nec dissentire poterant; nemine etiam contradicente, arbiter supperadditus: atque adeo nulla causa fuit, istam sententiam nullam declarandi. Alter casus habetur in Cap. 39. X. d. Offic. Et porro. judicis delegati, c. 61. X. d. Appellat. ubi duo simpliciter assulti,

ti, si inter se dissentiant, cogi possint, ut tertium assumant. Quæ sententia ex §. 6. sèpius allegato nostro desumpta videtur, & non cohæret cum sententia GREGORII IX. cœu ex dictis patet. Conf. D. BOEHM. ad Tit. X. de arbitris. §. 6. 7. Quicquid tamen hujus sit, Canonistæ ipsi usu servare fatentur eam, quam nos adstruximus. ESPEN Jur. Eccles. P. III. Tit. 5. c. 4. §. 15. & ibid. alleg. De viu GALLIAE restatur MORNACIVS ad dictam L. 17. BELGII, CYPRAEVIS in Not. Juris Belgici. ff. de arbitris. GROENVVEGEN de LL. abrog. ad L. 18 ff. de receptis. SIMON van LOEVEN in Censura forensi P. I. c. 17. n. 9. GERMANIAE nostræ, B. STRYKIVS in U. M. ff. Tit. de receptis §. 9 Conf. HUBERVIS in Eunomia Romana ad d. l. 17. Imo non desunt, qui existimant, si ne quidem additum fuerit, in dissensu electorum tertium assumendum esse, nec Prætor etiam jubeat tertium adsciscere, iplos tamen jure suo posse terruum associare sibi litis dirimendæ causa; quasi data arbitr's controversiæ finiendæ potestate, ea etiam tacite concessa videantur, sine quibus negotium definiri non potest: uti hoc casu, ubi res exitu caret, si pari numero dissentiant, tertio non admisso. a L. 2. ff. d. Jurisdiction. LOEVVEN. Cens. for. P. I. p. II. c. 17. n. 10. JOH. VOET. ad Tit. d. recept. n. 13. Quod non carere ratione puto. Cur enim non sponte facere queant id, ad quod compelli possunt a Prætore? & sane dum litigantes a compromisso non recedunt, quod in casu dissensus utique licet, ut semel ac iterum dictum, tacite assensum accommodant, allectioni tertii, sine qua res exitu caret. Cui sen-

sententia^e c. 61. X. d. *Appellationibus favere videtur. Optimum vero est, ut partes litigantes, ceu dictum, statim ab initio, certam tertiam personam adjiciant; vel si hoc non placeat, in casu dissensus tertii ele^ctio unius arbitris soli committatur.* Confer. *TELLEZ.* ad Cap. I. X. de Arbitris. *D. BOEHMER.* ad Tit. X. d. Arbitris. §. 6. & 7. *LINCKIVS* ad d. Tit.

VI.

Tertius ille assumptus, si unius ex arbitris sententia^e accedat, ei stabitur; si vero & hic a reliquis plane dissentiat, & tertiam sententiam soveat, nihil actum est, nec utri sententia^e stari potest. *I. 27. §. 3. ff. d. recept.* Danda vero opera, ut, si fieri potest, dissiden^tentia^e conjungantur in consensum majoris partis, ceu exemplo declaratur ab *ULPIANO* in *L. 27. §. 3. ff. d. recept.* Id quod tum contingit, quando sententiae non totis rebus differunt, sed altera partem alterius continet. Scilicet, si e. gr. ex tribus arbitris unus quindecim, alias decem, tertius quinque condemnant, quinque debent præstari ex sententia *JULIANI* quam *ULPIANVS* d. l. probat, quia in hanc summam omnes consenserunt. Vapulat hæc apud quosdam sententia, præsertim *AVTVMNVM & GROENEWEGENIVM*, dum hunc locum excutunt. Prior censet, æquius esse, decem præstari, non quinque, quia duo in decem consenserunt, qui vincunt tertium: nam is, qui damnavit in quindecim, damnavit etiam in decem, quæ minor summa majori illi ine^st. Alter nimis subtiliter philosophatur, dum dicit, non posse conjungi sententias, quia licet decem & quinque

que in quindecim contineantur *physicaliter*, non tamen comprehenduntur *intentionaliter*, habita ratione intentionis arbitrorum: namque ejus, qui in quindecim vel decem condemnat, intentio, ait, non est, in quinque condemnare. Et ideo nihil actum esse, nec laudum subsistere posse existimat. Sed *ULPIANI & JULIANI* sententia non caret ratione. Nam revera qui quindecim praestari vult, vult etiam decem & quinque praestari; & qui in decem constituit, in quinque etiam id utique facit: atque sic de intentione nullum dubium est. Illud autem dubium saltim apparet, utrum X. & XV. conjungendi sint adversus V. an vero V. & X. adversus XV. Itaque in hoc dubio suffragia in leniorem partem recte flectuntur, atque sententia in V. fit, in quam summam omnes consenserunt. Conf. l. 125. ff. d. Reg. Juris. Sane hanc sententiam *ULPIANI & JULIANI JUSTINIANVS*, dum passus est in ff. referri, comprobavit. Fecit & id Pontifex *BONIFACIVS VIII.* in Cap. I. de arbitris in VI. atque usus, dum Jus Justinianeum, Canonicumque admisit, retinuitque, in Germania etiam robur illi addidit. Conf. *BACHOV.* d. l. *VOET.* ad T. de Rec. §. 19. *HUBERVS* in *Eynom.* ad d. l. 27. p. 219. Si vero duo damnaverint in X. tertius in V. duorum sententia, quæ in X. conspirat, præferenda est, a quibus vere dissentit, qui in V. damnat. Quod & probat Pontifex in d. Cap. I. *HVB.* d. l. Idem dici deber, si unus in XV. alter in X. damnet, tertius vero absolvat: ubi iterum priores duo conjungendi, qui in X. consentiunt. *GROT.* L. II. Jur. Bell. & P. c. s. n. 19. Si vero totis rebus differunt, v.g. si unus

B 2

reum

reum actione confessoria conventum damner, alter absolvat, tertius purgatorium injungat: nihil actum est. Nec opus, ut absolvatur reus, vel ad favorem causæ respiciatur, quia judex adiri potest, si arbitrio res confici non potuit, ceu dictum §. II.

Videamus nunc de Judicibus, qui pares numero sunt. *MODESTINVS* in l. 28. ff. de re judicata seu *L. XII. responorum*, consultus, quid juris sit, si duo dati judges, diversas sententias dederint, respondit: *uramque in pendentī esse*, donec competens judex unam confirmaverit. *PAVLVS L. XVII.* ad Edict. inter pares, ait, *numero judges si dissonē sententie proferantur, in de liberalibus quidem causis (secundum quod a Divo Pio constitutum est) pro libertate statutum obtinet; in aliis autem causis pro reo, quod & in judicis publicis obtinere oportet.* Si diversis summis condemnent judges, minimam spectandam esse, *JVLIANVS* scribit, l. 38. ff. de re judic. Mirum vero, quod *PAVLVS* ad *D. PIVM* referat, quod jam dudum olim Lege Junia Petronia jussum est, pronunciandum nempe pro libertate esse, si dissonantes pares judicum sententiæ existant, id quod *HERMOGENIANVS* docet *L. i. Juris epit. in l. 24. ff. de manumiss.* Quæ Lex Petronia, vel Patronia, ut alii legunt, de manumissionum causis probandis apud Consilium, vel Prætorem egit. Forte tamen *D. PIV* constitutio novum robur sententiæ legis Petronia attulit. Alter *CVFIACIVS* ad d. l. 38. ff. de re jud. Ab hisce vero non aliena est sententia *JVLIANI* in l. 30. ff. de liberal. causa, in cuius legis eleganti specie tandem

dem ad favorem libertatis recurritur, & pro ea tūenda pronunciatur. Quod vero *P A V L V S* in aliis cau-
sis pro reo statuere juber, id etiam comprobat *M A R -*
C E L L V S L. 10. ff. de inoff. Test. Agitur in ista specie
de querela inofficiosi testamenti. Pars judicantium
contra testamentum & sic pro actore, hārede ab in-
testato querente de testamento contra officium pietati-
tis facto; pars secundum id sententiam dedit, & sic
pro reo hārede scil. scripto, qui in testamento prāsi-
dium ponit. Responder *J C R U S*, *bumanus esse*, *eius*
partis sententiam sequi, *que secundum testamentum spe-*
citavit, *nisi*, *si aperae judices inique secundum scriptum*
heredem pronunciaſſe apparebit. Quod quæſo quid aliud
est, quam pro reo sententiam ferre? *H V B.* ad d. l.
quamvis etiam favor testamenti in partes hic vocari
queat. *C V J A C.* L. XII. Obs. 16. Ex hisce iraque appa-
ret, *P A V L V M* secundum dictamen rectæ rationis, &
cum eo *M A R C E L L V M* hanc regulam suppeditare:
paribus judicum sententiis in omnibus causis, etiam judi-
ciis publicis illam præferendam esse sententiam, que pro
reo fertur. Cui regulæ & *P A V L V S*, & *HERMOGE-*
N I A N V S & *J V L I A N V S* exceptionem subjungunt:
nisi de liberali causa agatur, ubi illa sententia præferen-
da, quæ liberrari faveret, licet ad actoris partes perti-
near, puta, si quis ad liberrarem proclamet, qui in
alterius servitute hucusque fuit.

VIII.

Dum vero *P A V L V S* illique assentientes viam mon-
strant, qua statim exitus reperiri possit, *M O D E S T I -*

B 3

NVS

NVS vero alterius judicis, qui non nisi superior quidam esse potest, arbitrium & confirmationem expectare jubet: solicii sunt interpretes nostri, qua ratione *MODESTINI* responsum cum reliquis conciliari queat. *CVJAC.* ad d. l. 38. ff. d. re judic. *MODESTINI* responsum refert ad judicia pedaneorum judicum, qui si duo dati sint, qui dissuntas sententias proferant, judex competens, id est *Prator*, qui eos dedit, confirmat, utram mavult, exequiturque. Nam haec confirmatio, & executio sententiarum judicum a *Pratore datorum*, qui jurisdictionem non habebant, ad ipsum spectat *Pratorem l. 15. pr. ff. de re judic.* Qua parte *CVJACIVS*, quod & *WISSENB.* ad Tit. ff. de re jud. §. 4. facit, Græcos sequitur, qui *Lib. IX. Tit. III. §. 37. MODESTINI* sententiam ita exprimunt: Δύο χαμαιδί-
ντας ἐναρτιαὶ Φῆφοι ἐν ἡραπένω εἰσὶν, ἔως ὅ περ Φοῖος ἄρχων
τὴν μιαν βεβαίοτες. Dua judicum pedaneorum contrariae
sententiae in pendenti sunt, donec competens judex unam
confirmaverit. Quibus Græcis hac parte eo magis fides
habenda, quo propius ad æstatem *MODESTINI* ac-
cedunt. conf. *DVAR. DON.* ad d. L. 28. *FAB. Cod.*
l. 7.3. PAVLI vero & *MARCELLI* sententias accipit
idem *CVJACIVS* de judiciis recuperatoriis & centum
virilibus quoque, quibus *Pratores*, aut *Præsides* ipsi
præsidebant: quod dum pedanei judges judicabant,
non siebat; de quibus judiciis *FRANCISCVS POL-*
LETTVS in *Historia fori Romani* *L. III. c. 13. 15.* agit. Ita-
que cum *Pratores* aut *Præsides* ipsi assidebant, non
opus erat, expectare illorum confirmationem, sed
statim hi pronunciare poterant secundum regulam
PAVLI & MARCELLI. Interim hoc posito, credi-
bile

bile nihilominus est, & Prætorem in confirmanda sententia ex paribus judicum pedaneorum eandem rationem sequi debuisse. *JOH. VOEIVS* ad tit. ff. de re judic. §. 15. de duobus diversorum judiciorum judicibus, qui singuli separatim de causa eadem diversas tulerunt sententias, simul exitum habere non valentes, accipit *MODESTINVM*, ut in specie l. 30. ff. d. liberali causa contigit; ubi si non militasset specialis favor libertatis, ad id deveniendum fuisset, quod a *MODESTINO* respondit. *HVBER.* ad tit. d. re judic. §. 15. semper, ait, tali casu utramque sententiam in pendentri esse, donec competens judex, superior scilicet, unam earum confirmaverit: hunc autem in confirmando hanc rationem inire debere, ut regulariter pro reo sententia pronuncietur, exceptis causis liberalibus, ubi si favor libertatis ab auctore queritur, pro illo pronunciandum. Pene obliti essimus *Glossa*, quæ, dum textus hosce sibi invicem conciliare studet, l. 28. de judicibus delegatis, l. 38. autem de judiciis ordinariis accipit. Cum qua facit Pontifex *GREGORIUS IX.* in cap. 26. x. de sentent. & re jud. ubi de judicibus ordinariam jurisdictionem habentibus constituit, duorum judicium diversas sententias proferentium tenere eam, quæ pro reo, non pro auctore lata; nisi in causa favorabili, puta, matrimonio, libertate, dote, seu testamento, pro ipso auctore scilicet fuerit pronunciata; si vero ex delegata potestate judicandi munus exerceant, utramque pendere sententiam ex arbitrio delegantis. Sed cum illa distinctio judicis ordinarii & delegari haud sit juris civilis; quandoquidem non tantum judicium datorum,

sed

sed etiam eorum, quibus mandata jurisdictio alia plane
ratio est, quam eorum, qui stylo Juris Canonici De-
legati, & hodierno Commissarii dicuntur, de qua re
Doctores ad Tit. ff. d. jurisdict. & tit. ff. de officio ejus,
eui mandata jurisdict. nec non ad Tit. Decretalium de
officio & potestate judicis deleg. & post eos SCHILTERVS
Exerc. V. ib. 22. agunt: ideo hac distinctione dissidia
textuum juris civilis componi non possunt. Eadem
Glossa ad textum l. 28. ff. d. sentent. & re judic. aliam
adhuc rationem addit, PAVLVM cum MODESTINO
conciliandi. Nempe ait, posse locum MODESTINI
in L. 28. intelligi de duplicitibus judiciis, ubi non appa-
ret, quis actor, quis reus sit, item de interdicto:
Uti possidetis, cum uterque æque probavit: Sed cum
in judiciis divisorii ille pro actore habeatur, qui prior
ad judicium provocavit, & si simul provocaverint,
sorte res discerni possit, l. 13. & 14. ff. de judiciis, hoc
ipso concidit hæc interpretatio Glossa. Cur vero ad
interdictum *Uti possidetis* restringere velit Glossa textum
istum, nullam causam video. Et cum in judiciis pos-
sessorius quoque secundum veterem ritum judices pe-
danei dati fuerint a Prætore, juxta L. 1. §. 2. ff. si ven-
tris nomine, sententia MODESTINI utique etiam lo-
cum habere in judiciis possessoris poruit, sed non solis;
verum etiam aliis omnibus, ubi ordine & more usi-
tato veterum judiciorum lis agebatur. Conf. BEN-
DER. de revision. actorum. Concl. XIX. n. 30.

Postquam autem vetus ille mos dandorum judicium sublatus est, magistratibusque injunctum, ut ipsi de causa cognoscant, & judicent, *l. 2. C. d. judic. pendan.* atque hac ratione hocve sensu omnia judicia extraordinaria facta, *juxta §. ult. J. d. interdict. ubi VIN-NIVS* (quamvis & ordinaria dicenda, postquam ordinarium esse coepit, ut magistratus ipsi judicent) jam tempore *JVSTINI ANI* regula *MODESTINI* nullum habuit usum, atque frustra a *TRIBORIANO* in Digesta relata est. Minus usum habebit in foro nostro hodierno, cum præsertim Jus Canonicum receperit *PAVLI* & *MARCELLI* sententiam, *cap. ult. X. d. sentent. & re judic.* Res eo redit, ex Jure Civili & Canonico hanc formandam esse regulam: *paribus judicium sententiis eam preferendam esse, que pro reo est.* Cujus rei ratio non tantum in favore rei, & liberatio-nis, *juxta l. 12. ff. de R. J. & L. 47. d. Oblig. & action.* verum etiam in eo, quod status negotii mutari neque-at, si in neutrā partem causa mutandi adsit, nulla-que victoria ejus esse possit, qui altero superior non est, cœu larius jam diximus *Tb. II. supra. HVBER. ad Tit. de re judic. qu. 16.* Ampliatur vero ista regula, ut locum habeat, sive judicia privata, sive publica exerce-antur, *d. l. 38. ad quæ publica judicia locus PAVLI* pertinet *L. 4. sentent. tit. 12. ubi: Inter pares sententias clementior severiori prefertur, & certe humanae rationis est, favere miserioribus, & prope innocentes dicere, quos absolute nocentes pronunciare non possumus.* conf. *l. n. pr. l. 16. §. 1. ff. d. pen.* Declaratur porro (I) in casu, ubi

C

qui-

BUND

quidem omnes condemnant reum, sed tamen diversis summis, ut minima spectanda sit d. l. 38. §. 1. tum propter eundem favorem rei, tum etiam, quod actor condemnato reo non sit superior, nisi quoad summam, circa quam omnes consentiunt. Limitatur vero ista regula ratione illarum causarum, quæ in jure nostro pro favorabilibus habentur, quales sunt, ceu diximus *Ibes. 8. libertatis, testamenti, matrimonii, dotis*, in quibus omnibus humanius est, illam sententiam sequi, quæ pro libertate, testamento, matrimonio, doce, pugnat, si maxime actoris non rei commodo cedat. *dicit. textibus*, ubi Doctores, præsertim *Glossa*, & *Tellez* ad Cap. ult. X. de sentent. & re judic. i. c. si quis c. 33. q. 1. quæ causæ sequentibus verificulis a *Glossa* ad d. Cap. ult. X. de sentent. & re judic. adductis comprehenduntur:

Stat testamentum, libertas, conjugium, dos;
Si sunt aequales, qui producuntur utrumque.

Istis vero omnes istas addunt Doctores, quas pias dicimus, quarum privilegia peculiari libro *TRAQVEL-LVS* comprehendit. v. c. 147. ib. *BRVNN. in Proc. Civ. c. 27. n. 13. PRAESES de interpretatione Juridica c. 3. §. 17.* Quibus causis passim etiam jungunt Doctores causas nobilitatis, arg. L. 2. §. in filiis decurionum. verf. in aro quoque ff. de Decurionibus. *RICCIVS Collectan. Decis. 522. MOLDEN de statu nobilit. civil. c. 18. n. 10. & 74. KNIPSCHILD. de nobil. L. 2. c. 10. n. 101. item causas possessionis. CARPZ. Decis. 82. n. 35. SIMON ad Grotium L. 2. c. 5. COCCEJVS Diff. de eo, quod justum est circa numerum suffrag. Sect. II. §. 13. Ad causas testamenti*

quod

quod attinet, non omnes probant sententiam MARCELLI in L. 10. ff. de inoff. testam. quod humanius sit, si de inofficio testamento agatur, sequi ejus partis sententiam, quæ secundum testamentum pronunciat. Namque AVTVMNVS Cens. Gall. barbarum & inhumanum dicit, heredi scripto magis favere, quam filio exheredato: in quam rem L. 4. ff. eod. & L. 19. ff. de liberis & postbum. allegari possunt. Sed tuentes MARCELLVM, & eunomiam Romanam vindicant WISSEN BACHIVS Disp. XVII. ad ff. §. 4. & HVBER RVS in eunomia Rom. ad d. L. 10. Non vacat repetere utriusque partis argumenta: gratum tamen nobis erit, acceptumque, si in conflictu ea excutiendi detur occasio. Existimamus vero, in favore testamenti, quem & jus Civile & Canonicum probat, subsistendum esse. Dissentit BRVNNE MANNVS ad d. leg. Sed quid est, quod MARCELLI sententiæ additum legimus: nisi aperte judices inique secundum scriptum bereudem pronunciasse apparebit? Evertere hoc videtur totam prioris legis sententiam. Quis de hoc, an aperte iniqua centum virorum, qui de inofficio testamento cognoscebant, sit sententia, cognoscer aut sententiam feret? an forte centum viri? qui tamen officio suo jam functi sunt, nec denuo sententiam ferre possunt. L. 55. ff. de re judic. Et qui una pars, quæ contra testamentum pronunciavit, alterius, quæ secundum testamentum jus dixit, sententiam iniquam dicere potest, cum utrinque judicantes pares sint numero, & neutra pars alteram vincat. An forte ad Prætorem hæc res pertinebat? sed ita solus Prætor in causa ad centum viros

pertinentem super hac iniquitate cognovisset, & jus dixisset. An credendum est parti, quæ de iniquitate sententiæ queritur? atque sic hæc fieret judex in sua causa. Sane, si de iniquitate sententiæ, antequam pronunciatum est, cognitio fieri & sententia nova ferrari debeat, nullus exitus esset litium; neque etiam sententia iniqua ideo nulla est, vel plane inanis; sed vires rei judicatæ, ut notum omnibus, nanciscitur, si ab ea non provocetur. *POLLETTVS bisor. Fori Rom. Lib. V. cap. 16. sqq. GLOSSA & ACCVRSIANI* de sententia per gratiam & fides latè hoc comma accipiunt. Sed quomodo de hac nullitate ante sententiæ enunciationem queri quis potest? & peculiari iudicio opus foret, quo iudicium improbum factum excuteretur. Hanc ob causam non male opinatur *ANTONIVS FABER*, in *Rational.* b. 1. esse hic manum *TRIBONIANI* agnoscendam, quæ exceptionem subiectare non dubitavit, quæ tamen evertit totam nomothesiam. Vid. tamen *CYPRIACIVS* Lib. X. Obs. 20. Quod vero de Jure Canonico diximus, id *GREGORIVS IX. d. Cap. ult.* ad ordinarios judices restringit: nam, ratione iudicium delegatorum id constituit, in casu dissensus utramque sententiam ex arbitrio delegantis pendere, ut adeo neutra per se habeat vigorem, sive pro reo sit, sive pro actore in causa favorabili: qua quidem parte supponendum est, delegatis illis vel commissariis decisionem causæ & prouinciationem sententiæ expresse commissam fuisse. Nam si hoc factum non est, atque tantummodo hoc illis datum, ut allaborent, item amicibili compositione tolli; vel



de causa cognoscant, atque de ejus statu referant ad committentem vel delegantem, nullum tamen de ea ferant judicium; vel judicium suum quidem referant tantum ad delegantem, neutquam vero id significant partibus: & alias sententiam nullam ferre, atque partibus promulgare possunt. Procul dubio vero respexit *GREGORIVS IX. in Cap. 26. X. de sentent. & re judic. ad L. 28. ff. de re judic.* ac ea, quæ ibidem de judicibus pedaneis a *MODESTINO* dicta, ad delegatos suos applicare voluit. quorum quidem alias est diversissima ratio. Dici etiam potest apud delegantem, tanquam in radice remanere jurisdictionem delegatam, & ideo utramque sententiam pendere ab ejus voluntate. *Glossa & Tellez. ad d. c. ult.* Quicquid vero hujus fuerit, postquam praxis distinctionem istam judicum ordinariorum & delegatorum cum Jure Canonicō recepit, ab hac *GREGORII* constitutione in foro recedendum non esse existimo. *BENDER. d. revisor. actor. Concl. XIX. N. 16.*

X.

Non possum mihi temperare, quin quæsitum aferam, quod *HVBER* tractat ad Tit. ff. d. *sentent. & re judic.* §. 17. Reus citatus proponit exceptionem d. g. fori declinatoriam, que paribus suffragiis admittitur & rejicitur. Quæritur: *rejectio, an admissio prevalere debeat?* Dicit *JCtissimus vir*, in Curia Frisiorum rejectionem prælatam fuisse, hac ratione scilicet, quod excipiens ea parte actor sit, juxta L. 1. ff. d. *except.* & sic hoc loco actor rei favore utatur. Addit vero, non defuisse,

C 3

qui,

qui, inter quos & ipse, ut viderur, fuit, pro admissione & exceptione starent; quibus ego omnino accedendum esse opinor: nam rejectio exceptionis declinatoriae ferr' aliquid novi, quod scilicet excipiens ex foro competente in aliud trahatur, cui non est subiectus. Ast illud novum effici non potest, nisi per potentiores innovandi causam, qua nulla est in pari judicum numero. quod idem de aliis exceptionibus dicendum est. Excipiens scilicet intendit rem in eodem statu, quo est, retinere; cujus mutatio novum quid est, egens potentia vincendi, qua par numerus caret. Est quidem, ubi juxta d. l. i. reus actoris loco habetur, praesertim intuitu probationum, quae ab affirmante suscipi debent; sed in aliis rebus, & maxime, ubi de sententia ferenda quæstio est, reus manet reus, nec amisit favorem liberationis, ad quam pertinet admissione exceptionis. L. 47. ff. d. Oblig. & action.

XI.

Ad evitandam vero votorum paritatem extant interdum peculiares constitutiones, quæ, qua ratione procedendum sit, quidve agendum, definiunt. Quorsum pertinet Justinianæ L. In offerendis. 37. C. d. appellat. in qua constituit, in causis appellationum recipiendis estimationem X. librarum auri excedentibus, infra XX. tamen tantum libras consistentibus, duos cognoscere ex Principis Consistorio debere, ita tamen, ut, si dissentiant, quæstor illis adjungatur. Pariter passim receptum est, ut impares numero constuantur, aut coëant judices, (quod Judæis olim etiam

etiam placuisse, SELDENVS Lib. II. d. Synedrio cap. 12.
 n. 4. docet,) aut saltim illius, qui Præsidis & Directo-
 ris munere fungitur, vel ejus vicem sustinet, senten-
 tia pro duobus votis, seu suffragiis computetur, &
 in paribus numero sententiae illi stetur, cui Præses ac-
